

Utrum creaturarum omnium principium productivum esse unicum sit viatori evidenter cognitum. Arguitur quod sic, quia Deum esse principium productivum cuiuslibet rei, que non est Deus, est viatori evidenter cognitum, igitur. Consequentia nota, quia Deus est solum unus. Antecedens ex tribus conclusionibus prime questionis, et ex ipsarum probationibus ibidem positus patet.

Ad oppositum arguitur sic. Naturas rerum specificas non esse eternas viatori, non est evidenter cognitum. Igitur nec omnium rerum unum productivum principium. Consequentia nota., sed patet antecedens. Quoniam Aristoteles tam vicens ingenio 8 Phisicorum posuit contrarium.

Respondeo ponendo tres conclusiones. Prima conclusio est quod aliquod esse ens primum necesse esse viatori non est evidenter cognitum. Probatur tripliciter. Primo sic: si viator posset habere evidentem notitiam de aliquo ente quod sit necesse esse. Aut hoc posset habere per actum interiorem et intellectivum, aut per exteriorem et sensitivum, sed neutro modo, igitur. Ma- (67vb) ior patet, quia omnis notitia aut est intellectiva, aut sensitiva. Et probatur minor quia uterque actus, tam intellectivus quam sensitivus multotiens est deceptivus et erroneus, quia multi iudicant se cognoscere per actum intellectus que non cognoscunt. Similiter et per actum sensitivum sentire que non sentiunt sicut patet de ebrio qui vivendo unum lumen iudicat se duo videre, que satis patent in exemplo Thobie, qui extimabat se intelligere, audire et videre hominem, quando non hominem, sed angelum secum habebat.

Secundo sic: viatori non est evidenter cognitum quod aliqua res non sit realiter suum nunc, igitur nec quod aliqua res non sit mutabilis. Igitur nec quod aliqua res sit necesse esse. Antecedens patet, quoniam multi et magni doctores oppositum expresse ponunt scilicet quod quelibet res est suum nunc. Sed prima consequentia patet, quia si quelibet res sit suum nunc, non est evidens quin quelibet sit mutabilis, sicut et ipsum nunc continue est mutabile de futuro ad presens et de presenti ad preteritum.

Tertio sic: si viatori esset evidenter cognitum esse aliquod ens, necesse esse et primum, hoc solum esset quia sibi esset evidens esse Dei, sed esse Dei non est sibi evidens, igitur. Patet maior, quia secundum veritatem nullum aliud esse est primum et necesse esse. Sed minor probatur. Quia illud esse non est evidens viatori esse, de quo nunquam habuit nec habet intuitiva<m> noticiam. Talem autem noticiam non habuit de esse Dei, nec habet, igitur. Et confirmatur, quia si viatori esset evidens aliquod ens esse primum et necesse esse. Aut hoc esset a priori aut a posteriori. Aut per ipsummet necesse esse. Sed non potest dari primum, quia tali ente nihil esset prius. Nec secundum, quia omne posterius primo est contingens esse, quod evidenter non infert necesse esse. Nec tertium, quia viator ipsum primum est necesse esse nunquam vidit in proprio esse, sed solum per ea que facta sunt.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: viatori est evidenter cognitum quod aliquid est contingens, igitur et quod aliquid est necesse esse. Antecedens patet ex dicta conclusione. Sed consequentia probatur, quia, si aliquid est contingens, quero de illo contingenti aut est a se, aut a nullo aut ab alio. Non primum, quia "nulla res se ipsam gignit ut sit": patet per Augustinum, 1 De trinitate capitulo 1. Nec secundum, Quia quod nihil est nullius causa potest esse. Igitur oportet dari tertium, scilicet quod (68ra) sit ab alio. Et tunc similiter queram de illo, et sic vel erit processus in infinitum, vel stabimus ad unum quod sit necesse esse primum et non ab alio.

Secundo sic: viatori est evidenter cognitum subiectum generationis et corruptionis esse necessarium, igitur. Patet consequentia, quia tale subiectum est aliquid, quia aliter generatio esset creatio. Patet antecedens, quia si subiectum generationis et corruptionis posset non esse. Tunc quero in quo corrumpetur illud subiectum. Et tunc vel erit processus in infinitum, vel erit dare aliquod tale subiectum, quod corrumpi non poterit et per consequens erit necesse esse.

Tertio sic: illud quod est carens contrario est necesse esse. Sed celum est carens contrario, igitur. Maior patet 1 Celi et mundi textu commenti 20 et textu commenti ultimi.

Respondeo. Ad primum nego consequentiam. Ad probationem concedo quod est evidenter cognitum quod illud sit causatum ab aliquo, sed non quod ab aliquo quod sit necesse esse, nec ex hoc evidenter sequitur processus in infinitum, quia posset dici quod tota illa collectio erit contingentium et erit causata, ita quod unum erit ab alio et aliud ab alio, ita quod in eis sit circulatio, quia secundum multos talem circulationem causarum et effectivum ponebat Plato in anno magno. Sed diceres contra. Tota illa collectio per te est causata. Igitur aut est necesse esse, aut contingens. Si primum, habetur propositum. Si secundum, tunc quero a quo est causata. Non ab aliquo illius collectionis, igitur ab aliquo alio. Igitur processus in infinitum, vel erit status ad aliquod necessarium a quo total erit causata quia presupponitur quod tota sit contingens et causata.

Respondeo dico quod tota illa collectio potest accipi dupliciter, scilicet vel divisim, et tunc tota est contingens et causata, quia accipitur pro qualibet parte illius collectionis, vel coniunctim et tunc non est contingens, nec causata, nec necessaria. Patet per exeplum: 'omnis locus est mihi contingens, divisim sumendo, et tamen non possum esse sine omni loco. Ita dico quod accipiendo totam istam collectionem coniunctim. Nec est necessaria, nec est contingens, quia illa non est aliquid significabile incomplexum, sed aliquid significabile complexum quia illud nihil aliud dicit nisi rem aliquando esse, aliquando non esse.

Ad secundum dico quod subiectum generationis et corruptionis potest accipi dupliciter. Uno modo per denominationem intrinsecam. Alio modo per denominationem extrinsecam. Primo modo accipitur pro receptivo reali illius rei que generatur, et sic dico quod non est evidens aliquod esse tale. Alio modo accipitur pro re que generatur et corrumpitur, et sic dico quod est evidens et necessarium aliquod tale esse, sed presupposita generatione et corruptione. Et sic tale subiectum est necessarium necessitate consequentie, non consequentis, et nihil ad propositum. Dico etiam quod licet nos secundum rei veritatem ponamus subiectum generationis et corruptionis etiam primo modo, tamen hoc non est evidens, nec tale subiectum est necesse esse, quia potest desinere esse per simplicem productionem vel creationem.

Ad tertium, dico quod illa ratio non est evidens, sed magis quedam congruentia, quoniam sicut habetur 12 Metaphisice, parve congruentie debent sufficere philosophis in dubiis, ita quod iste credulitates que sunt accepte ab antiquis philosophis debent sufficere ad excludendum illa dubia nec semper oportet habere demonstrativas rationes. Dico etiam quod illa maior sumpta universaliter est falsa. Videmus enim quod lumen in aere et in luna corrumpitur, et non tamen a contrario activo, sed pro tanto quia sol non est presens vel eius radius. Dico etiam quod minor non est evidens. Sed contra, quod maior sit evidens quia lumen in aere corrumpitur. Igitur vel a se, vel a nullo vel a disparato contrario. Non a se, quia nihil se ipsum corrumpit, sic nec generat. Nec a nullo, quia quod nihil est vim corruptivam non habet. Nec a disparato contrario, quia disperata possunt simul stare, sicut patet de dulcedine et albedine in lacte. Igitur relinquitur quod corrumpitur a contrario.

Respondeo quod divisio est insufficiens, quia lumen potest corrumpi propter absentiam producentis vel conservantis, modo ita est quod presentia radii solaris conservat lumen in aere et ideo radio absente lumen corrumpitur.

Secunda conclusio est quod aliquod est esse primum et effectivum omnium non est a viatore evidenter cognitum probatur tripliciter. Primo sic: materiam primam esse ab aliquo productam non est viatori evidenter per cognitum, igitur. Consequentia nota. Patet antecedens, quoniam oppositum posuit Aristoteles 1 Physicorum, textu commenti 82.

Secundo sic: ista conclusio, scilicet quod est aliquod ens primum effectivum omnium dependet ex propositionibus inevidentibus. Igitur ipsa a viatore (68va) non est evidenter cognita. Patet consequentia, quia conclusio non habet evidentiam nisi ex evidentia premissarum. Sed patet antecedens, quia illa conclusio maxime dependet ex istis duabus propositionibus, quarum prima est quod in efficientibus et in effectibus non est processus in infinitum.

Secunda est quod nulla causa secunda potest esse causa totalis sui effectus, que tamen propositiones non sunt evidentes, sed multum dubie. Et maxime secunda.

Tertio sic: viatori non est evidenter cognitum omnia a Deo esse productive, igitur. Consequentia nota, quia tale productivum omnium non potest esse nisi sit Deus. Et antecedens patet, quia multi sunt opinati et crediderunt quod actus peccati nec mala voluntas esset a Deo, ut ostendit Magister libro 2 distinctione 27 et tamen illa sunt de numero entium, igitur.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Et hoc per tres rationes factas quaestionis, id est ad probandum secundam conclusionem que videntur probare viatori evidenter Deum esse causam efficientem omnium aliorum a se. Sed ad illas breviter dicitur quod rationes sunt bone et efficaces et veritatem concludentes. Et cum hoc stat quod non sunt evidentes. Immo quelibet illarum assumit aliquid quod viatori non est evidenter cognitum, sed fidelibus creditum.

Tertia conclusio est quod aliquod ens esse conservativum cuiuslibet alterius esse a viatore non est evidenter cognitum. Probatur tripliciter.

Primo sic: non est viatori evidenter cognitum quod Deus sit causa conservativa omnium, igitur. Consequentia nota, quia nihil aliud a Deo potest omnia conservare. Sed probatur antecedens. Quia de illo non est evidens quod sit causa conservans omnia quod equaliter potest stare cum existentia rerum et cum non existentia. Sed Deus est huiusmodi, igitur. Maior patet, quia ex quo tale indifferenter se habet ad esse rei sicut non ad esse non potest esse plus causa existentie rei quam non existentie. Sed minor apparet, quia Deus per existentiam rerum vel non existentiam nullo modo variabilis vel mutabilis est, ut ait Magister libro 1 distinctione 30.

Secundo sic: non est viatori evidens aliqua plura eterna non esse, igitur. Consequentia nota, quia secundum veritatem nullum eternum ab aliquo est dependens, igitur. Si sunt plura eterna, oportet quod sint plura independentia, et talia nullo alio indigent, et sic non habent causam conservativam ab ipsis distinctam. Sed antecedens patet ex hoc quod philosophi posuerunt multa eterna, ut omnes intelligentias etc. (68vb)

Tertio sic: non est viatori evidenter cognitum quod omnia alia a principio sint corruptibilia vel quod possint aliquo modo non esse. Igitur nec quod talia indigeant conservatione ipsius primi entis. Consequentia de se nota. Sed patet antecedens, quia non est evidens viatori quod angelus vel anima aliquo modo possint definere esse, quia nec per corruptionem, quia non habet materiam, nec per anullationem, quia sibi non est evidens quod anullatio sit possibilis, sicut nec quod creatio. Unde non est sibi evidens magis quod de aliquo

possit simpliciter fieri, vel quam quod de nihilo aliquid et tamen secundum ponit Philosophus I Phisicorum.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: lumen in emispherio nostro indiget conservacione. Igitur et lumen stellarum. Igitur et quodlibet aliud lumen. Sed de primo lumine est evidenter notum viatori quod indiget conservacione. Igitur etiam de quolibet alio lumine. Patet antecedens, Quia viator habet experientiam quod subtracto corpore luminoso illuminante aerem statim lumen desinit esse. Sed patet consequentia, quia lumen emisperii nostri et stellarum et universaliter omne lumen creatum est eiusdem rationis.

Secundo sic a viatore est evidenter notum motum celi indigere conservante. Patet, quia hoc experitur de omni motu quod oportet quod ab alio conservetur, igitur motus celi vel conservatur a celo, vel ab intelligentia movente ipsum celum, et tunc quodcunque detur. Quero de illo aut est conservans non conservatum, et tunc habetur propositum quod tale sit per se conservativum omnium aliorum. Aut est conservans conservatum. Et tunc queram de illo a quo conservatur. Et sic vel devenietur ad unum conservantem non conservatum, quod erit propositum, vel erit processus in infinitum.

Tertio sic: viatori est evidenter cognitum celum indigere conservacione, igitur et de quolibet alio. Consequentia nota, quia minus videtur de celo quam de aliis rebus. Et antecedens patet per Commentatorem dicentem De substantia orbis, tractatu 2. Celum non tamen indiget movente, sed etiam largiente sibi virtutem et permanentiam et conservacionem eternam.

Respondeo. Ad primum dicitur multipliciter. Primo quod non est evidens quod lumen emisperii nostri et stellarum sint eiusdem rationis cum unum sit corruptibile aliud non.

Secundo posset dici quod posito quod essent eiusdem rationis, non tamen est evidens, quod si unum indiget conservacione quod et aliud indiget.

Tertio posset dici quod posito quod sit evidens omne lumen indigere conservante, non tamen est evidens quod illud conservativum luminis sit unum ens omnium aliarum rerum conservativum ut supponitur in conclusione, nec ex hoc sequitur evidenter quod si quodlibet lumen indiget conservante igitur et quodlibet aliud a primo indiget conservante.

Ad secundum de motu celi posset primo dici eodem modo. Secundo dicerent aliqui quod ille motus non indiget conservante, quia motus non distinguitur a movente mobili et loco, et ideo sicut illa sunt eterna, ita et motus ille, quia primus motus et primum mobile idem significant ex parte rei.

Ad tertium dicitur quod non omne dictum commentatoris est evidens et quod licet in illa parte ipse dixerit verum, non tamen illud de se est evidens.

Ad argumentum primum in principio quaestionis factum, nego antecedens. Ad probationem dicitur quod tres conclusiones prime quaestionis sunt vere, et rationes ad ducte ad probationem ipsarum sunt vere, non tamen ex hoc sequitur quod viatori sint evidenter cognite, nec hoc intelligunt dicte tres conclusiones nec ipsarum probationes etc.